

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 278

**Auteur(s) :** Richard Ier Cœur de Lion, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Évreux, Saint-Taurin (abbaye)

**Genre d'acte :** pancarte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1195, 15 janvier

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Pancarte de l'abbaye de Saint-Taurin d'Évreux.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862, t. 1, p. 564 (extrait).
- b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1868, t. 2, p. 279, 513 (extraits).
- c. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1869, t. 3, p. 204 (extrait).
- d. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° L, p. 61-66.
- e. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instr. Eccl. Ebr., n° XI, col. 138-141.

## Dissertation critique

L'acte le plus ancien contenu dans cette pancarte est daté par M. Fauroux (FAUROUX, Recueil des actes des ducs de Normandie, n° 5) de 962-996.

Texte établi d'après e

Ricardus, Dei gratia rex Anglorum, dux Normanniæ, Aquitaniæ, comes Andegavensis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justitiariis, vicecomitibus, senescallis, præpositis et omnibus ministris et fidelibus suis, salutem. Sciatis nos concessisse et præsentî charta nostra confirmasse Deo et ecclesiæ beati Taurini primi Normannorum episcopi, pro salute animæ nostræ, et antecessorum et successorum nostrorum, donationes quas antecessores nostri suo tempore et barones eorum eidem ecclesiæ fecerunt. Quæ donationes et qui eas donaverunt, in præsentî charta subscribuntur. Ricardus filius Willelmi dux Normannorum, qui abbatiam in honore sancti Taurini Ebroicensis instituit, hæc quæ subscribuntur de dominio suo ipsi Sancto donavit, scilicet decimam telonei Ebroicensis civitatis et vicecomitatus, et hospites in eadem villa cum libertate, et burgum ejusdem ecclesiæ propinquum soli ecclesiæ serviens, et terram cum aqua, et in silva sua ligna ad omnes usus monachorum necessaria, et pastionem ad suos proprios porcos et ibi prope villam quæ dicitur Patervillam, et dimidiam terram Istielmaisnillam, cum dimidia parte ecclesiæ sancti Aquilini ; et in Ebroicensi pago ecclesias de Wellebon, et de Caldebec, et de Lonviers, et de Pintervilla, cum omnibus decimis quæ ad illas pertinent, et hospitibus multis eidem ecclesiæ servientibus, et in Secana unum tractum, et in Actura duos, et piscationes molendinorum de Loviers, et

quadraginta solidos in molendinis suis, et in nemore suo ad omnes usus monachi ibidem commorantis necessaria, et pastionem ad suos proprios porcos ; hominibus quoque dedit tantam libertatem in curia sancti Taurini, quantum suis hominibus in sua curia : in pago quoque Constantini, Periers, et Millieres, et Wandrimasnillam et quæ ad illa pertinent, sicut in dominio habebat, libere dedit : in Liovino terram apud Martinivillam, et apud Ulmeia, et apud Molas, unde plurimorum vavassorum servitium redditur monachis, et liberas consuetudines per totam terram suam, et in festivitate sancti Taurini nundinas totius civitatis et omnes illius diei consuetudines. Willelmus de Paceio Mathildis filius, pro sua et parentum suorum, et dominorum absolute, terram de Chesigne quæ deserta et absque habitatore manebat, sicut quiete tenebat, sine alicujus contradictione prædicto loco tribuit, annuente domino suo Willelmo de Bretolio ; et Hugo filius Hubaldi de Paceio terram quam in Pictarivilla tenebat, excepto quod liberi sui homines in eadem villa tenebant, Domino sanctoque Taurino dedit, et defunctus in claustrum monasterii sepultus est ; quam donationem Osbernus de Longavilla firmavit, tribuens etiam terram quam Hugo Borse tenuit et Thebaldus presbyter. Post hæc Robertus Malet, et uxor ejus Emmelina, et Gislebertus de Nuille, annuentibus fratribus suis Haimardo et Focardo, voluntate Willelmi de Bretolio et Ricardi filii Herluini, ecclesiæ S. Taurini dederunt ecclesiam Pictarivillæ cum omnibus ad eam pertinentibus, et terram ex utraque parte ecclesiæ triginta duas perticas continentem. Hiis adjunxerunt terram quantum possunt arare quatuor boves in anno pro duobus monachis, Hugone videlicet Roberti filio, et Nicolao Gisleberti filio. Post mortem vero Roberti et Gisleberti, heredes illorum dederunt prædicto Sancto silvam illius villæ, et Rogerius Genivel quidquid habebat in ecclesia et decima quiete concessit, et in jam dicta silva terram quam ibi habebat cum arboribus, eidem Sancto dedit. Odo filius Geraldii terram quam juxta ecclesiam habebat, prædicto Sancto dedit. Hæc omnia supradicti domini quiete sancto Taurino concesserunt, et donationem super altare posuerunt testimonio multorum. De hiis quæ ad fiscum comitis Ebroicarum pertinent, Robertus Lovellus terram quæ Ciconia dicitur, sicut quietam et liberam tenebat de eodem comite, consensu Willelmi comitis facta solenni donatione concessit cum ecclesia et quæ pertinent ad eam, qui comes Willelmus pastionem monacho ibidem commoranti ad proprios porcos dedit. Dedit etiam ipse Robertus eas decimas quæ de suo feodo erant, scilicet de Aurille, et de Guerrel, et de Plassiers, et de Gorchan, et de Beschoire. Præterea Gostho presbyter ecclesiam de Lissei cum decima sicut quietam tenebat, concedente domino suo Simone, dedit ibi factus monachus, et Simon dominus ejus dedit quinque acras terræ cum duobus hospitibus, et decimam molendini apud Ebroas, quod dicitur Mareschal. Denique Albereda decimam Grandis-silvæ quam proprie tenebat, dedit, et liberi homines sui suam consensu illius. Inde monachi ecclesiam fecerunt. Adjunxit quoque terram Albereda, in eadem villa sex acras terræ et terram ad hospitandum. Agnes quoque uxor Rogerii de Paciaco dedit Deo et sancto Taurino de hereditate sua ecclesiam cum decima de Berou, et ecclesiam sanctæ Trinitatis cum terra ad duos boves. Goscelinus de Sachenvilla et ejus filius Willelmus, dederunt eidem Sancto ecclesiam S. Martini cum decima, et decimam Desmainsvillæ. Præterea Radulfus et Fulco filii Hugonis de Petroca dederunt sancto Taurino decimam ejusdem villæ, concessu Roberti filii Hugonis domini sui. Hugo de Sache et ejus filius Robertus cum suorum amicorum consensu, decimam de Sache et de Morcenc dederunt : unde monachus factus est idem Hugo. Richardus quoque comes Ebroicensis, annuente Willelmo ejus filio, pro salute animæ suæ, dedit decimam de Bueville. Hunfridus, cognomento Morinus, filius Henrici dedit sancto Taurino decimam terræ suæ de veteribus Ebroicis. Similiter Astho de sancto Albino dedit decimam terræ suæ, annuente domino suo. Richardus quoque Harenc S. Taurino dedit decimam cujusdam terræ suæ, quæ vocatur Cultins. Gencelinus dedit Deo et sancto Taurino ecclesiam de nemore Gencelini cum decima, et quatuordecim terræ acras, annuente domino suo Rogerio de Bello-monte, de cujus fisco erat. Addidit etiam Gencelinus pascua pecorum monachorum intra et extra silvam, pro quo in eodem loco monachus effectus est. Rogerus de Bello-monte, amore Dei et animæ suæ salute, dedit ecclesiæ sancti Taurini in perpetuum fundum per annum, unum modium frumenti, et alterum modium Braisi, et decimam molendinorum Normannivillæ, et sequens filius ejus Robertus hoc idem concessit. Radulfus vero filius Othonis dedit decimam molendini de Belmontel, et ejus quod subter civitatem Ebroicas, et decimam villæ de Teillole. Morinus Delpin dedit decimam molendini sub muro civitatis, et ejus quod est apud S. Germanum. Rogerius Harenc dedit decimam molendinorum de Glisoles. Herbertus de Croise dedit decimam de villa quæ dicitur de Ploisseis-Herbert : inde postea monachus effectus est. Mahiel filius Gaufridi, concessu domini sui Willelmi de Bretolio et parentum suorum in territorio Glos. in villa quæ dicitur Bois-Mahiert dedit terram ad unum aratrum ad usus monachorum. Willelmus filius Amaurici factus monachus dedit sancto Taurino 17 acras terræ apud Isnelmaisnillam, concedente fratre suo Gisleberto et domino suo Valtero. Radulfus Bellacaro particulam silvæ quam habebat in territorio S. Germani dedit sancto Taurino, concessu domini sui Walteri filii Radulfi. Similiter quatuor milites qui tenebant liberam terram apud villam quæ dicitur Campania, scilicet Hugo Batpuche, et Rogerius filius Oclerii, et Urso, et Ramerius, concedentibus dominis suis Simone filio Landerici

et Rogerio Bello dederunt sancto Taurino ecclesiam sancti Laurentii cum omnibus quæ ad eam pertinent, et in circuitu ecclesiæ ex omni parte viginti perticas terræ ad hospitandos homines in proprio dominio Sancti dederunt, et terram ad laborandum unusquisque ad duos boves. Dederunt etiam de sua silva ad usus monachorum, quantum necesse fuerit. Simon vero et Rogerus Bellus dederunt monachis pasnagium porcorum, et priorum et suorum hominum, et silvam ad usus eorum, et prati quinque jugera, et culturam quæ dicitur Cultura Hersendis. Dedit etiam Rogerius Bellus terram ad unum bovem, annuente Gisleberto præsule apud Ebroicas, de cujus fisco erat. Gohellus de Ivreio dedit capellam quæ sita est intra castellum Illeis liberam et quietum ; furnos quoque totius villæ et castelli, et decimam omnium quæ ad se pertinent, et panis proprii, et molendinorum, et piscium stagni, et terram convenientem ad habitandum et laborandum ; et si contigerit quod teloneum et transitus ibi capiatur, similiter decimam. Godefridus clericus, concessu Roberti Canuti domini sui et aliorum dominorum suorum de quorum possessione ipse tenebat, dedit beato Taurino decimam de Croise, sicut quiete tenebat, cum omnibus quæ ad eam pertinent, cujus ecclesiam Herbertus de Croise dederat eidem Sancto. Apud Paceium vero dedit Godefridus ecclesiam S. Antonini cum pertinentiis. Rogerius Pincerna de Normannivilla dedit monachis sancti Taurini decimam terræ suæ, ibi factus monachus. Similiter Willelmus Harenc factus monachus dedit decimam medietatem de Waudrivilla. Willelmus de S. Germano dedit decimam terræ suæ quam habebat apud Maernel. Radulfus de Maernel dedit sancto Taurino terram des Jariers, quam filius ejus Rogerius concessit, et centum acris terræ donum patris crevit, et totam decimam villæ concessit, concessu domini sui Willelmi. Radulfus de Toneio dedit ecclesiæ beati Taurini, in Anglia villam quæ dicitur Ecclesia libere et quiete, cum hiis quæ ad eam pertinent, concedente Willelmo Anglorum rege. Henricus comes de Voarwic dedit in terra Walensium apud Gouherium ecclesiam S. Keneti, et terram ad duo aratra in vicinio ipsius ecclesiæ, et decimam ejusdem villæ Lenguenc, et locum aptum ad molendinum, et de silva sua ad omnia necessaria, et decimas omnium reddituum suorum, et de venatione, et de piscatione, insuper de omni dominio suo, et ecclesiam de Tanoin libere et absque calumpnia. Apud Longam-villam Osbernus filius Hugonis de Cormeil dedit monachis sancti Taurini consuetudines totius terræ vinearum Gaufridi præpositi et Ermengardis, quas monachi tenebant in dominio, quæ erant ex fisco ejusdem Osberni, et terram Anserii totam quietam, annuente domino suo Rogerio pincerna regis. Robertus dapifer dedit Deo et sancto Taurino duas acras terræ in Warena, et decimam culturæ Petri domini sui. Emma de valle et filii ejus dederunt sancto Taurino decimam quam possidebant in Busco, et in valle Grimoldi et in Cantapica, et apud sanctum Remigium, pro fratre suo Thoma ibidem facto monacho. Heldebertus factus monachus in ecclesia sancti Taurini, partem hereditatis suæ donavit ecclesiæ, reliquam partem invadiavit ipse, et frater suus devadiavit. Hosmundus qui in ecclesia factus monachus totum vadimonium et hereditatem reliquit quietam, concessu Godardi et Warengerii, quam postea tradiderunt monachi ad medietariam Godardo secundum consuetudinem villæ. Simon quoque comes Ebroicensis dedit Deo et sancto Taurino biduales nundinas quæ sunt in secunda Dominica post Pentecosten et die lunæ sequenti. Similiter Radulfus Ebroicarum, concessu, tam comitis Ebroicensis quam comitis de Mellento, dedit sancto Taurino totam decimam quinque molendinorum suorum in parochia sancti Germani, et decimam molendini de Lisle de Chattivel, et aquam sancti Germani, et omnem piscationem, et nausas ejusdem aquæ, et decimam de Ansgervilla. Dedit etiam medietatem villæ quæ dicitur le Buisson Amaurici, et duos homines cum domibus suis, et decem solidos annuatim pro anniversario patris et matris suæ, et omnium parentum suorum, et concessit omnia pertinentia ad feodum suum quæ antecessores sui vel homines alii dederunt Deo et sancto Taurino, scilicet decimam del Toillol Radulphi filii Othonis, et decimam molendini de Belmontel, et decimam de Maisnillo Othonis, et decimam de Maietel, et decimam de bosco Gencelini, et decimam molendini de Grocet, et medietatem aquæ et villæ illius quæ dicitur Berengerivilla ; et apud sanctum Germanum tres acras terræ, quas Johannes filius Lamberti dedit beato Taurino. Ricardus de Milleriis, concessu Willelmi fratris sui et parentum suorum, dedit Deo et sancto Taurino quicquid habebat vel habere debebat in ecclesia de Milleres, unde victui necessaria de abbacia sancti Taurini habuit omnibus diebus vitæ suæ. Has prædictas donationes, sicut rationabiliter factæ sunt præfatæ abbatiæ S. Taurini et monachis ibidem Deo servientibus, confirmamus, testibus Guarino Ebroicensi, W. Lexoviensi episcopis, Willelmo filio Radulfi tunc senescallo Normanniæ, Roberto de Harcourt, Wangel. de Ferrariis, Henrico de Groy, et pluribus aliis. Data apud Vallem Radolii, quinta decima die Januarii, per manum Willelmi El. episcopi cancellarii nostri, anno sexto regni nostri.